

# THE GHOST OF ANANT from William of Newburgh's *Historia De Rebus Anglicis*

## Part 1 Latin text

Text prepared by Lupus Alatus from [Google Books](#)

\*Not in meter. These are just the line breaks from the original text.

Item aliud nōn dissimile sed perniciosius contigit  
apud castellum quod Anantis dīcitur, prout accēpī ā  
sene religiōsō, quī clārus et potēns in partibus illīs  
exstiterat, et in suā hoc ipsum praesentiā factum memorābat.

Quīdam vir malae āctiōnis metū vel lēgum  
vel hostium ex Eborācēnsī prōvinciā ad dominum memorātī  
castellī, cui nōtus erat, cōfugiēns, ibīdem  
'resēdit: et sortītus ministerium suīs mōribus aptum,  
augēre magis propriās quam corrigere studuit prāvitātēs.

Uxōrem dūxit, in propriam sānē perniciem, ut  
postea clāruit. Audiēns enim dē ipsā quaedam, spīritū  
zēlotypiae vexābātur. Cupiēnsque an vēra essent dīgnōscere,  
fīnixit sē longius itūrum, nec reditūrum nisi

post diēs aliquot. Reversus autem vespere, atque in  
cubiculum clanculō per ancillam cōnsciam intrōmissus,  
super trabem cubiculī uxōris imminentem latuit, oculīs  
probātūrus sī quid ibīdem contrā thorī fidem agerētur.

Vidēnsque uxōrem cum vīcīnō juvene fornicāntem,  
prae irā immemor suī effectūs dēcidit graviterque  
sē juxtā ipsōs cubantēs ad terram ēlīsit. Et moechus  
quidem exsilīvit: uxor vērō callidē factum dissimulāns,  
molliter ērigere cūrāvit jacentem. Ille ad sē  
modicē reversus, stuprum improperat, poenam comminātur.

At illa: "Signa, inquit, tē, domine mī:  
aliēna loqueris: quod nōn tibi sed morbō imputētur  
quō tenēris." Quassātus ergō ex cāsū et tōtō ferē  
corpore stupidus, tanquam morbō dēcubuit. Quem vir  
memorātus, quī haec mihi retulit, pietātis officiō vīsītāns,

# THE GHOST OF ANANT from William of Newburgh's *Historia De Rebus Anglicis*

## Part 1 Latin text

Text prepared by Lupus Alatus from [Google Books](#)

monuit eum dē peccātīs suīs cōfessiōnem facere,  
et eucharistiam juxtā mōrem sūmere Chrīstiānum.  
Ille vērō quid sibi accidisset, et quid uxor dīceret,  
replicāns, quod salūbriter monēbātur in crāstinum distulit,  
crāstinum in corpore nōn vīsūrus. Nocte enim  
sequentī Chrīstiānae expers grātiaē meritīs malīs urgentibus  
sopōrem mortī sociāvit. Et Chrīstiānam quidem  
sepultūram indignus accēpit, quae illī nōn prōfuit.  
Noctibus enim operātiōne Sathānae dē sepulchrō ēgrediēns,  
prōsequente eum cum lātrātū horribilī canum  
turbā per platēas et circā domōs oberrābat, cūctīs  
ōstia obserantibus, nec exīre praesūmentibus ad aliquod  
negōtium ab incipientibus tenebrīs usque ad ortum  
sōlis, nē quis forte oberrantī mōnstrō sūgillandus occurreret.  
Vērū haec cautēla nīl prōfuit. Nam tētrī  
corporis circumāctū infectus āēr, haustū pestilentī ūiversās  
morbīs et mortibus domōs replēvit. Jamque  
vīcus, quī populōsus paulō ante fuerat, paene exinānītus vidēbātur,  
dum clādī superstites, nē et ipsī morerentur, ad partēs aliās commigrārent.